

bium, quin unusquisque a Supremo legis moralis Executore secundum merita sit recepturus. Forum humanum, eo quod in præmiis et pœnis varios fines *materiales* intendere solet, urgente caussa gravi a consueta iuris **MAXIMA** ex æquo recedit: *Pœna debet esse proportionata delicto.*

XX. Adplicatio legis moralis, quam ens finitum rationale ad seipsum suasque actiones facit, unacum effectibus subiectivis inde ortis, **CONSCIENTIA** audit, quæ *a)* iudicium morale variorum modorum capax, *b)* diversas sententias morales, *c)* sensum religiosæ spei et timoris involvit.

XXI. Ut lex *obiectivam*, ita conscientia *subiectivam* actionum moralium regulam constituit: tenemur ergo secundum conscientiam agere; atque in concursu probabilioris conscientiam minus probabilem sequi et imprudens et illicitum est.

XXII. In stabiliendo veræ **VIRTUTIS** conceptu perperam nonnulli vagum *honestatis* nomen infinitis encomiis deprædicant. Rationis puræ